

CAPUT I.

De blasphemia, ejusque speciebus.

1. *Quæst. 1.* quid, & quotuplex est blasphemia? R. est verbum contumeliosum in Deum, quod omnino triplex est. 1. dicitur blasphemia hæreticalis. 2. imprecativa. 3. mere *dehonestativa*. *Hæreticalis* est ea, quæ hæresim continet, vel Deo attribuendo, quod ipsi non convenit, ut qui eum vocat tyrannum, injustum, nolentem, vel non potentem nos juvare, cet. vel negando ei, quod convenit, ut dicendo eum non esse justum, providum, misericordem, & similia; vel tribuendo Creaturæ, quod Dei proprium est, v. g. Dæmonem esse Deo fidelioem, aut qui simile. *Imprecativa* est ea, qua quis Deo malum imprecatur, v. g. dicendo: *Utinam non esset Deus, sit maledictus, pereat, cet.* Mere *dehonestans* est, cum dicitur aliquid Deo conveniens, sed quod ad ejus vilipendium tendit, per modum, convicii, indignationis, contemptus, cet. ut illud Juliani Apostatæ: *vicisti Galilæe*. Sic etiam blasphemant, qui injuriose usurpant membrum Christi, v. g. *perdat te Dei sanguis*; vulnera Christi, mortem, passionem, Sacramenta, & similia, quæ instituta sunt ad sanctificationem.

2. Huc etiam refertur locutio contumeliosa in Sanctos, quorum uti laus ad Deum refertur, sic & contemptus, ut recte notat S. Thomas q. 13. art. 1. Revocatur etiam ad blasphemiam a-

lia signa contra Deum, licet verba non adsint, ut spure in Cælum, infrendere dentibus, cet. Imo & sola mente blasphemia interior committi potest, sicut etiam solo corde laudamus Deum. Est etiam blasphemix genus maledicere Creaturis cum relatione ad Deum, v. g. maledicere pluvix, ac ventis, ut a Deo imperatis: secus vero si indignatio in eas fertur sine respectu ad Deum. *Maledicere rebus irrationabilibus, in quantum sunt Creaturæ Dei, est peccatum blasphemix, maledicere autem eis, secundum se consideratis, est otiosum, & vanum.* Ita. S. Th. 2. 2. q. 76. a. 2.

3. *Quæst. 2.* Quale peccatum est blasphemia? R. est peccatum mortale ex genere suo; quia blasphemia quæcumque est gravis contemptus Dei, cum per eam suprema Numinis majestas deprinatur. *Nihil horribilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum* ait S. Hieronym. lib. 7. in Isa. c. 18. Hinc illud ps. 36. *maledicentes ei disperibunt.* Et Levit. 14. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* In Confessione ex primenda est species blasphemix, v. g. an sit hæreticalis, quæ continet malitiam hæresis, si non tantum ex ira proferatur, sed etiam mente credatur id, quod ore profetur. In blasphemia imprecationis explicandum est, an sit contra Deum, an contra Sanctos; quia prima est peccatum contra patriam, adeoque longe gravius, quam secunda, quæ est contra dulum, & probabiliter specie differunt inter sese. Dici quoque debet, an blasphemias intenderit directe Deum inhonorare, an non; primum e-

nim esset crimen longe gravius, quam secundum.

4. Quamvis blasphemia ex se non admittat levitatem materiæ, aliquando tamen excusari a gravi peccato possunt rustici, qui non putant se blasphemare dum verba dicterii proferunt in aliquem Sanctum sub conditione, v. g. *Si hoc ego feci*. Non tamen immunes sunt a peccato, eo quod dicant se non intendere blasphemia. Licet enim id non intendant directe, fatis tamen advertunt malitiam verborum, quæ Deo, vel Sanctis sunt injuria; sicque virtualiter blasphemare intendunt.

5. *Quæst. 3.* Quid agere debet is, qui consuetudinem habet blasphemandi? R. Is tenetur sub mortali serio conari eam tollere. Quod si nolit, verba omnia blasphemix, quæ ex iræ impetu proferat etiam sine advertentia, sunt totidem peccata, cum sit voluntaria in causa; nec potest absolvi a Confessario, donec emendetur. Verum si aliqua remedia serio adhibeat ad tollendam consuetudinem, excusabitur aliquando a peccato propter inadvertentiam, eo quod blasphemix in subita commotione prolata non sint voluntariæ, nec in se, nec in causa utpote per contritionem retractata.

6. Non est proprie blasphemia, dicere contra aliquem: *sanguis Dei, corpus Dei*, nisi indignatio feratur contra Deum, aut præseferant illa verba irrisionem Dei. Neque censetur blasphemus dicens: *per vitam Dei, vel Sanctorum*; sed erit juramentum, si aliquid affirmetur, vel negetur. Verba illa: *Deum renego, si te non percussero*, blasphema esse putant aliquid: negant

alii, cum solum significant, certum esse animum percutiendi, sicut certum est, sese Deum non negare. Illa formula: *hoc est verum, sicut Deus*, inter blasphemias numeratur a Suarez, Soto, & aliis. Alii multi excusant a blasphemia, quia ut plurimum non intenditur, creatam veritatem cum increata adæquare, sed solum indicare similitudinem quadam cum hyperbole. In ira imprecari aliis Dæmonem, grandinem, fulgura, licet multi confundant cum blasphemia, non est tamen nisi mera imprecatio, quæ si proferatur absque odio, & sine desiderio, ut mala illa eveniant, non est nisi veniale ex natura sua. Veruntamen raro excusari potest a mortali propter scandalum, & horrorem, quem audientibus ingenerat. Idem dico de formulis supra dictis, aliisque multis, quæ in usu sunt apud plebem; eæ enim tum ob periculum blasphemix, tum ob scandalum audientium sæpe sunt gravissima peccata.

7. *Quæst. 4.* An sit blasphemia maledicere toti mundo? R. affirm. Sicut enim verum est juramentum jurare per creaturas, in quibus specialiter resplendet Dei potentia, ita maledicere eisdem est vera blasphemia, & Dei contemptus. Aliud esset, maledicere mundo, qui Deo, & sanctis adversatur, justa illud Joan. 15. v. 18. *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit*. Maledicere autem Diabolo, raro est peccatum mortale; illi enim maledice solet, ut Dei inimico, & malorum auctori. Imo ne veniale quidem erit nisi propter iram, vel impatientiam.

8. *Quest. 5.* An sit blasphemia mortuis imprecari, quod dici solet *blasphemia mortuorum*? Hæc quæstio apud DD. morales non invenitur, sed solum apud auctores duorum librorum, italice scriptorum, quorum alter inscribitur: *Istruz. per li Conf. di terre*; cet., alter: *Opera contra l'abuso della bestemmia*. In utroque asseritur, formulam illam nequaquam esse blasphemia, sed levem dumtaxat maledictionem. Idemque postea confirmatum legi apud Mazzot. Tom. 1. pag. 338. Ratio autem est, quia talis maledictio non continet neque in objecto suo; neque in aliquo ipsius respectu veram injuriam contra animas purgatorii, vel Sanctorum; non quidem ex objecto, cum vox mortui aliud in se non significet, quam cadavera; vel significat homines vita functos, qui possunt esse salvi, vel damnati; nomen autem *mortuorum* non refertur ad purgantes animas, nisi ex adjectis illud exprimatur, ut cum dicitur, *Missa vel oratio mortuorum*, aut quid simile.

9. Dices: saltem mortuis maledicere, significat maledictionem hominum, qui mortui sunt, ædeoque animarum, quæ a corpore manent disjunctæ. R. ea maledictio propius respicit corpora, quæ moriuntur, quam animas immortales. Deinde non video, cur maledicere viventibus non habeatur loco blasphemix, & blasphemia sit mortuis maledicere. Sicut ergo jurare per animam alicujus, esset verum juramentum, secus vero jurare per aliquem hominem, v. g. Petrum, aut Franciscum; ita maledicere animabus nominatim, esset peccatum blasphemix, non ita maledicere hominibus, sive mortuis, sive vivis,

Accedit, quod ita mortuis imprecantes non intendunt illis maledicere, sed solum vivis aliquid exprobrare. Et patet ex praxi Confessariorum, a quibus interrogati, utrum in animo haberint maledicere animabus sanctis, vel saltem purgantibus, statim respondent: *absit tale flagitium*. Vide Auctoris epistolam apologeticam super hoc argumento, in calcem capitis hujus insertam.

CAPUT II.

De Juramento.

10. *Quest. 1.* Quid est juramentum? R. juramentum ex D. Th. est invocatio nominis Divini in testimonium alicujus veritatis. Quæ invocatio aliquando est expressa, cum explicite Deus ut testis imploratur; aliquando tacita, seu implicita, cum testes adducimus Sanctos, Cælum, aut Creaturas, in quibus Creator specialiter elucet Illæ loquendi formulæ: *in fide, in veritate mea, per conscientiam meam, in fide boni viri*, non sunt juramenta, cum per illas Deus ut testis non adducatur. Imo nec illa verba: *in fide boni Christiani, vel Sacerdotis, vel Regis*; esset tamen dicere per fidem Catholicam, per Sanctum Evangelium, quia ita significatur testem invocari auctorem Sanctæ fidei, Evangelii. Dicere per animam meam, probabilius est juramentum, quia cum in anima singulariter resplendeat Deus, censetur ille adduci in testimonium.

11. Illi modi loquendi: *Deus novit, Deus testabitur suo tempore, Deus novit omnia, Deus videt conscientiam meam*, censentur proferri ad

instar narrationis, non vero invocacionis, adeoque juramenta non sunt, nisi aliud constet, aut ex circumstantiis probetur. Ex communi usu loquendi censentur juramenta phrases illæ: *Vivis Deus, Deus est veritas*; si vero per modum enunciationis dicantur, juramenta non erunt. Idem dico de sponsonibus uti solitis: *occidar, ni ita sit; amputentur mihi aures*, & similia, quæ communiter non continent nisi sponsonem quandam, seu pœnæ obligationem, & significant: *Si non est ita, spondeo vitam meam, vel pœnæ mortis me subijcio*. Erunt autem juramenta, si Deus expresse nominetur, v. g. *Deus me perdat, si mentior*. Dicere autem: *ita mihi faveat Deus, sicut*, cet. *Angelus me tollat*, cet non censetur juramentum.

12. Idem dictum de comparationibus illis, quæ vulgo fieri solent: *tam verum est, quam sol lucet, quam hic sedeo, ambulo*, cet. non sunt juramenta, quamvis sæpe mendacia sint. Dicere autem: *tam verum est, quam quod Deus est, quod Christus est in Eucharistiæ Sacramento*, potius blasphemix sunt, quam juramenta. Imò nec erunt blasphemix, si solum intenditur asseveratio rei, quæ profertur, non vero perfecta comparatio cum veritate fidei. Abstinentium tamen est ab his loquendi modis, in quibus raro deficit peccatum ratione scandali.

13. *Quæst. 2.* Quotuplex est juramentum? R. triplex: *assertorium, promissorium, & imprecatorium*. Primum est, quo præterita, vel præsentia affirmantur, aut negantur; secundum, quo aliquid futurum promittitur. *Impre-*

catorium denique, quo Deus invocatur non solum ut testis, sed etiam ut vindex, si falsum dicat, v. g. *ita me Deus adjuvet; puniat me Deus*, cet. Addunt aliquid *comminatorium*, ut *per Deum ego te cadam*; sed hoc revocatur ad promissorium. An isthæc juramenta sint ejusdem, vel diversæ speciei? disputant Scholastici. Communis sententia specie non differre contendit.

14. *Quæst. 3.* An, & quando jurare liceat? R. de fide est licitum esse juramentum, si debito modo fiat. Nam Deut. 6. dicitur: *Dominum Deum timebis, & illi solit servies, & per nomen illius jurabis*. Et ps. 69. *laudabuntur omnes, qui jurant in eo*. Idem definitur in Conc. Constant. sub Mart. V. & constat ex usu, & praxi Ecclesiæ. Est enim actus Religionis, cum sit invocatio Divinæ veritatis. Ut autem juramentum debita ratione fiat, tria requiruntur, nempe veritas, justitia, & necessitas, secundum illud. Jer. 4. *Jurabis, vivit Dominus in veritate, judicio, & justitia*. Veritas quidem exigit ut res, quæ affirmetur, sit vera vel saltem prudenter existimetur esse vera. *Judicium* exigit, ut cum consideratione, & reverentia juretur, & nunquam sine necessitate, aut utilitate. Justitia requiritur, ut quod juratur, sit res justa, & honesta.

15. *Quæst. 4.* Quale peccatum sit juramentum, carens aliqua ex prædictis conditionibus? R. 1. jurare verum, sed absque necessitate, ut plurimum est veniale tantum; potest tamen esse mortale, si ex negligentia in inquirenda veritate, vel ex jurandi consuetudine te exponis periculo perjurii. Atque etiam ratione scandali, quod

aliis præbere solent facile jurantes. Ita S. Anton. p. 1. tit. 14. c. 4. cui ceteri DD. subscribunt. R. 2. jurare contra veritatem, hoc est, contra id quod verum existimatur, etiam in materia levi, semper est peccatum mortale: si-ve enim levis, si-ve gravis sit res, quæ juratur, gravis est in Deum irreverentia, ipsum adducere in testimonium falsitatis. Ita S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. Et ab Innoc. XI. damnata est hæc propositio: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Non est tamen perjurus qui affirmant jure jurando aliquid quod re ipsa falsum est, ipse autem putat esse verum. Contra vero reus est perjurii qui jurat id, quod in se verum est, ipse autem existimat esse falsum; jurat enim contra mentem, proindeque mendacium affirmat juramento.

16. Est quoque peccatum mortale jurare tanquam verum id de quo dubitas, an verum sit. Pariter si nullam, aut non nisi levem adhibens diligentiam ad investigandam rei veritatem, rem ut certam asseras jure jurando. Excusari tamen sæpe a lethali debent viri rustici, & plebeji, qui ex inadvertentia, & inconsideratione utuntur formulis juramenti ad asserendam rem, quam ut certam non sciunt, cum sese pejerare minime animadvertant.

17. Quod ad *justitiam* spectat, peccat mortaliter qui jurat se facturum rem graviter malam, ut se aliquem interfecturum, cum sit gravis irreverentia in Deum, velle se obligare ad mortale, idque Divina auctoritate. Itaque duo

ille peccata committit; alterum, quod velit malum, alterum, quod abutatur Dei auctoritate. Sed qui ita juravit, non tenetur postea stare juramento; imo tenetur non stare. Qui jurat facere rem venialiter malam, aut vanam, aut frivolam, venialiter solum peccare traditur a multis DD. Mihi tamen magis arridet sententia opposita, quia non levis irreverentia videtur, invocaret Deum in testem, ac fide jussorem peccati quantumvis levis. An autem graviter peccet contra Religionem, qui cum juramento asserit ac se jactat de aliquo peccato? dubitat TT. Affirmat Toletus, Sotus, Lessius, alii Negant Suarez, Sanchez, Salmant. & quidem probabilius, quia tunc juramentum non assumitur ad firmandam voluntatem exequendi mali, ut evenit in juramento pormissorio, sed tantum ad alios certiores reddendos de peccato suo quo non est nisi quædam animi levitas. Mortale tamen esset juramento abuti ad firmandam detractionem, hoc enim esset assumere juramentum, velut instrumentum ad infamiam alterius confirmandam.

18. *Quest. 5.* An in juramento uti liceat amphibologia, si-ve restrictione? Nota *Amphibologia*, seu verborum æquivocatio triplici modo fieri potest. I. cum verba, quibus utimur, duplicem habent sensum, utrumque verum, & æque principalem, ut cum dicimus: *hic liber est Petri*, intelligere possumus, Petrum esse dominum libri, vel Petrum esse illius auctorem. II. cum verba duplicem habent sensum, unum principalem, & magis communem, alium minus obivium; vel unum litteralem, alium mysticum,

ut berva, quæ dixit Christus de Baptistâ: ipse est Elias. Item restrictio verborum duplex est: 1. late dicta, cum sensus verborum, quæ proferuntur, ex indiciis, vel circumstantiis ab audiente cognosci potest; allia pure mentalis, cum sensus proferentis ita manet in mente, ut neque ex verbis prolatis secundum se, neque ex circumstantiis ullo modo deprehendi possit. His positis —

19. R. 1. Nunquam licet uti æquivocatione, seu restrictione pure mentali, nec cum juramento, nec sine illo. Constat ex tribus propositionibus damnatis ab Innoc. XI. 1. erat: *si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fuit, vel quidvis aliud additum verum; re vera non mentitur, nec est perjurus.* 2. Causa justa utendi hic amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad solutem corporis, honorem, res familiares tuendas; vel ad quemlibet virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. 3. qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione, mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

20. Jure autem merito hæc doctrina damnata est, cujus usus humanæ Societati per-

niciosus esset, tollere hominum commercium, & dolis, ac fraudibus latissimum campum aperiret. Præterea: restrictiones pure mentales vera sunt mendacia, atque, si juramento confirmantur, vera perjuria. Nam ut ait De-Lugo veritas propositionis vocalis stat in conformitate verborum secundum significationem exterream, vocibus inpositam, cum mente loquentis. Is ergo, qui utitur restrictione proprie tali, aliud habet in mente, quam verba significant in sensu proprio, adeoque mentitur. Hinc S. Aug. Enchir. c. 22. *Verba, inquit, propterea sunt instituta; non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.*

21. R. 2. Sine justa causa non liceret jurare cum æquivocatione, seu restrictione etiam late mentali. Est doctrina communis TT. Ratio est, quia lex, & bonum commune societati exigit, ut verbis utamur secundum communem significationem, nec solum secundum mentem propriam, sed etiam secum mentem audientis, quando nulla causa est occultandi veritatem; quæ lex fundatur in ipsa natura, ut docet S. Th. 2. 2. q. 109. art. 3. ad 1. Hinc multo minus licet uti æquivocatione ad decipiendum alterum, quum finis hujusmodi sit omnino malus ex S. Aug. supra cit. *Verbis uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.* Quare jurare cum ambiguitate, quando Judex aut Superior legitime interrogat, est peccatum mortale, ex communi sententia: idem dico in

contractibus, in quibus damnum proximo inferitur, nisi loquamur in sensu obvio, & communi, & ad mentem contrahentis.

22. Extra hos casus, sine justa causa uti æquivocatione, vel restrictione late mentali ad juramentum, solum esse peccatum veniale, docent multi cum Soto, Val. Salmant. Lessio, & aliis, quia in his juramentis adsunt veritas, & justitia: deficit tantum judicium, sive discretio, cujus deficientia non est nisi venialis. Nec in eis falsum quidpiam adseritur, sed verum juxta sensum loquentis, & verborum, quæ proferuntur, licet permittatur, ut alter decipiatur, verba intelligendo in alio sensu; quod ex justa causa malum non est. Contra vero esse mortale, jurare absque necessitate cum æquivocatione, contendunt Layman, Toletus, Navarrus, Busembaum quos sequitur Viva in Comment. ad prop. 27. damnatam. ab Innoc. XI.

23. *Quæst. 6.* An cum justa causa liceat uti etiam cum juramento æquivocatione, vel restrictione non pure mentali, quæ ex circumstantiis percipi possit, affirmat communis sententia TT. præsertim antiquorum, cui subscribunt Gonet, Contensonus, & Tournely continuator, qui ait, etiam strictiores Theologos negare esse illicitas restrictiones late mentales quod idem est, ac non pure mentales; idque confirmat ex testimonio D. Aug. lib. contra mendacium c. 20. ubi ait: *quamvis omnis, qui mentitur, velit celare, quod verum est, non tamen omnis, qui vult celare, quod verum est mentitur.* Favet D. Thoma q. 110. ar. 5. ad. 4. *Non est li-*

citum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo liberet, licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Aug. dicit in lib. contra mendacium. Idem colligitur ex S. Hieronymo c. 22. q. 2. dicente, *utilem simulationem, & in tempore assumendam, quem locum explicans S. Thomas 2. 2. q. 111. a. 1 ad 2. ait: S. Hieronymus utitur large nomine simulationis pro quacumque fictione.* Consentunt S. Anton. 1. p. tit. 10. c. 1. §. 1. & S. Raymundus lib. 1. Summæ tit. de mendacio.

24. Nec aliter explicari possunt plura loca Scripturæ S. ut illud Joan. 7. ubi rogatus a suis Dominus, utrum ascensurus esset Hierosolymam ad diem festum, respondit: *Non ascendo.* Et tamen postea ascendit, ut narrat Scriptura. Itaque *non ascendo*, subintellexit, *manifeste*, ut rogabant Discipuli, sed ascendit *occulte*. Pariter Matth. c. 24. Dominus dixit: *de die illa nemo scit... neque filius*, subintelligendo *ad manifestandum*, ut Discipuli petebant. Ita hunc locum explicant S. Aug. Thomas, Hieron. alique PP.

25. Ratio autem hujus doctrinæ est evidens, quia nisi liceret aliquando uti verbis æquivocis, nulla esset juxta ratio celandi arcanum, quod sine gravi detrimento aperiri nequit; quod humanæ societati, & commercio non minus esset perniciosum, quam sit mendacium. Neque id est decipere proximum, sed justa de causa permittere, ut ipse decipiatur. In quo inter nos, & adversarios nostros nulla potest esse quæstio, nisi de nomine; quod enim nos vocamus æquivocationem, amphibologiam, restrictionem late

mentalem, ipsi alio nomine dicunt vel fictionem, vel figuram, vel dissimulationem, vel præcisionem, vel usurpationem sensus mystici, præcisi, cet. Quoad rem autem omnes nobiscum sentiunt; nec id damnatur ab Ecclesia, quæ solum prohibet restrictiones mentis proprie tales: aut si alias damnat, eas solum damnat, si proferantur sine justa causa, aut ex animo proximum decipiendi.

26. Hinc deduces sequentia. 1. Confessarius, ab aliquo rogatus de peccato in Confessione audito, potest jurare, *se illud nescire*, subintelligens, ut *Ministrum Christi*, vel *ad manifestandum*, ut explicat S. Th. 2. 2. q. 75. 2. Reus aut testis, a Judice non legitime interrogatus, potest jurare, se nescire crimen, subintelligendo, *de quo illegitime possit inquiri*, vel *ad deponendum*. Ita communis TT. ex eodem D. Th. 2. 2. q. 69. a 1. Secus erit, si legitime interrogetur, quia tenetur justo Superioris præcepto parere. Idem dico in contractibus onerosis, quia utendo æquivocatione injuria fieret alteri. Ex dictis facile dirimes quæstiones alias particulares, quæ occurrere solent, & videri possunt apud Auctores.

27. Denique est animadvertendum cum Roncaglia, majorem requiri causam ad utendum æquivocatione cum juramento, quam sine illo. 2. cum Salm. eo majorem exigi causam, quo verba majorem præbeant errandi occasionem. Unde verba ita æquivoca, ut duplicem habeant sensum æque principalem, facilius possunt usurpari. 3. nunquam licere simulationem

propiam, ac formalem, qua quis per actionem externam intendit alium decipere, quia est verum mendacium facti, ut docet S. Th. 2. 2. q. 111. art. 1. *Simulatio* vero lata, & *materialis*, qua quis non intendit alterius deceptionem, sed finem alium honestum, licita est, cum adest justa causa, & ex circumstantiis finis agentis deprehendi potest, ut dictum est de restrictione non pure mentali. Sic Josue fugit ab urbe Hai, ut hostes inde abducerentur, & milites ipsius in eam irrumperent.

CAPUT III.

De obligatione Juramenti promissorii.

1. In juramento promissorio veritas duplex affirmatur: altera de præsentibus, & primaria: altera secundaria, & de futuro. Primo enim jurans asserit sese habere animum adimplendi, quod promittit; deinde asserit se impleturum suo tempore, quod promittit. Quam rem si Deo promittat, est votum cum juramento; si homini tantum, est jurata promissio humana; unde oritur obligatio implendi; si rationali modo possit.

2. *Quæst. 1.* Quale peccatum sit, & quo pacto obliget juramentum promissorium fictum? Nota, tripliciter potest quis fecte promittere cum juramento. 1. sine animo jurandi. 2. sine animo se obligandi. 3. sine animo implendi. R. igitur 1. Qui jurat *sine animo jurandi*, peccat, quidem cum illudat Divino testimonio. Et contrarium est damnatum ab Innoc. XI. prop. 25. dicente: *cum causa licitum est jurare sine animo*